



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput VI. a Hilarius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

CAPUT V.

^a Hieronymo *super Mattheum.*

Ioseph non cognovit Mariam, donec peperit filium suum primogenitum. Ex hoc quidam loco perversissime suscipiantur & alios filios habuisse Mariam, dicentes primogenitum: cum primogenitus non debeat dici, nisi qui habeat fratres; cum hic mos divinarum sit Scripturarum, ut primogenitum non eum vocent, quem fratres sequantur; sed eum, qui primo natus sit.

NOTÆ.

^a **I**n eodem.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 4.* idest D. Hieronymus

id eodem cap. 1. Matthæi. Priora illa verba, *Ioseph non cognovit, peperit filium suum primogenitum,* sunt D. Matthæi; cætera verò D. Hieronymi exponentis verbum illud *Primogenitum.*

CAPUT VI.

^a Hilarius.

Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus.

NOTÆ.

^a **H**ilarius.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* Sanctus Hilarius Pictaviensis Episcopus floruit per annos 355. & quamvis jam provectæ ætatis baptizatus fuisset, tamen brevi in ecclesiastica doctrina ita profecit, ut Doctor Maximus, & ecclesiæ Catholicæ columna merito habitus sit. Scripsit varia opera quæ refert Bellarminus *de Scriptor. Ecclesiast. d. anno 355.* & scripsit de Trinitate, ubi *lib. 4.* reperiuntur verba in præsentî à Raymundo transcripta, quæ ut facilius intelligantur, altiùs reperenda sunt. Ait Hilarius: *Sequamur ergo adversus irreligiosas, & impias adeo institutiones, ipsas illas divinorum dictorum auctoritates. & unumquemque eo ipso, de quo queritur, auctor em tractabimus, non ad fallendam audientium imperitiam, & malè imbuendam, quasdam verborum enunciationes, sub-*

tractis eorum causis, coaptantes. Intelligentia enim dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus. Quæ ultima verba compilavit Raymundus *in præsentî,* quia canones propriam habent verborum significationem, quam ex causis ipsis, & rebus depromo; ideo non tam proprietas, quàm sensus plerumque attenditur. Exempla extant *in cap. secundo 41. de appellat. cap. ex literis, de sponsal. cap. ad audientiam, de decimis.* Quod de jure civili plerumque admittitur, si quidem tuendæ voluntatis gratiâ, ut captio omnis viteretur, verba ipsa contra propriam significationem accipiuntur, ut *in l. ex conducto 15. §. Papi-nianus, ff. locati. l. 13. ff. de excusat. tutor.* Plura & ambiguo sermone congesserunt Petrus Faber, & Iacobus Gothofredus *in l. in ambiguis, ff. de R. l. Doctor Leon. in l. Paulus, ff. de rebus dubiis, D. Josephus de Retes lib. 7. opuscul. cap. 3. numer. 21.*

CAPUT VII.

Augustinus *super* ^a *Mattheum.*

Nihil obstat narrandi diversitas, ubi eadem dicuntur, maximè cum quisque Evangelistarum eo ordine credat se dicere, quo Deus voluit.

NOTÆ.

^a **I**n *Mattheum.*] Ita etiam legitur in prima

collectione, *sub hoc tit. cap. 6.* ubi notat Ant. Aug. verba hæc forsan transcripta fuisse ex D. Augustino *de consensu Evangelist. lib. 2. cap. 12. 21. & 28.*

CAPUT VIII.

^a Gregorius.

Ad explendum affectum meum, fateor, lingua non sufficit: sed quidquid de vobis sentio, vester vobis melius affectus dicit. Quibusdam verò vos adversitatibus laborare audiivi. Sed non hac de re valde contristor, quia plerumque navis, quæ pervenire ad altas pelagi tempestates per prosperitatem poterat, in ipso navigationis initio vento adversante repellitur, sed ad portum repulsa revocatur. Propterea si proli-

Fff 4

xam